

1501 Alexander a Senatu certior factus , aurum abstulit . Zeno ad urbem delato , funus amplissimum publice curatum . Laudavit Angelus Gabriel . Postea ei ex testamento Senatus in ædis Marciae porticu sepulcrum ex ære ponendum locavit . Interea in Achaja magnum incommodum publice est acceptum , Pylo ab rege Thracio iterum capta . Is enim cum eo & terrestri itinere equitum millia complura , & mari triremes quatuordecim , & biremulas quinque ( sic enim naves eas appellant , quæ fere semitremum loco sunt ) Camali præfecto misisset , essentque in Pyli portu triremes reipublicæ tres sine ulla statione aut specula : eas Camales improviso aggressus , non magno negotio cepit . aliquot ex iis , qui in eis erant , fuga in scaphis elapsi , ad triremes quinque majores reipublicæ quæ cum mercibus Beryto illo ipso tempore venerant , erantque in anchoris portui vicinæ , se contulerunt . Ex quinque eadem formidine usæ , cum terrori esse hostibus potuissent , velis factis abierunt . quarum conspecta fuga , qui Pylo prærant , se se hostibus dediderunt . Earum tremum præfectis eo minus ignoscendum fuit , quod paulo ante Cretæ cum essent , a Pisauro eis erat imperatum , ut se Pyli expectarent : isque postero die cum triremibus quindecim eo venit . Sed Camales , cum Pisauri classem e longinquæ venientem ii qui in specula erant positi conspexissent ( id enim ne accideret , verebatur , ut in Pisaurum , quem brevi eo venturum a captivis intellexerat , imprudens incidet ) evestigio triremes captas abducens , litusque proximum legens , ei se vitabundus eripuit .

Pisaurus deinde Corcyram adveniens , quod audierat naves longas Turcas e Loo flumine , quæ in eo erant , brevi educturos , triremes aliquot misit , quæ ostium fluminis adservarent : ipse cum reliqua classe longarum navium viginti-quinque in Achajam revenerit , atque in Coronæ finibus magnum hominum numerum cum uxoribus & liberis suis in navibus imposuit , quos Cephallenem ad incolendum traduceret . Paulo post Aeginæ cum esset , intellexissetque Megaræ & biremes fabricari , & frumenti magnam copiam esse , Aloisium Lauredanum legatum cum navibus octo , si quid

*Pylos iterum a Turcis capitur.*

*Megara capitur & diruitur.*